

vt laboribus Iosephi fuerat ditatus Potuphar: ita nunc eiusdem opera ditescere se sentit custos carceris. Studium igitur & labor piorum omnibus prodest magis, quam ipsis, quantum ad externa bona, quæ impii maxime appetunt: pii vero non præcipue sectantur: sed misericordiam Dei pluris æstimant.

Quartum argumentum præsentia Dei eidentissimum & maximum sequetur cap. 40. & 41. quod Ioseph è carcere penitus liberatus ad societatem regni à

Pharaone euehitur: quæ fuit mirabilis metamorphosis & læta catastrophe; pios post afflictiones certo tandem manens: non quod Deus omnes ad regna & dignitates mundi euehat. Hoc enim plurimis non esset vtile, sed noxium. Gloria vero cælestis regni omnes exornat, iuxta promissiones: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Et Apostolus: *Si toleramus cum eo, etiam cum eo regnabimus, 2. Tim. 2. 12.*

CAPITIS XL.

Argumentum, Vtus, Partitio, Analysis.

Caput hoc est ad gloriosam liberationem Iosephi, & ad sequentes euentus: descensum Iacobi in Aegyptum, & impletionem oraculi de Aegyptia seruitute seminis Abrahae deq; potenti liberatione ex ea: ad qua Deus porro variis vtitur medijs peccatis & somniis duorum satraparum, & Regis poena item grauissima famis Aegyptum & Cananæam prementis: quod iterum nobis confirmat admirabilem prouidentiam Dei deducentis homines per mirabiles ambages ad finem prestitutum: docetque, multa contingere definito Dei consilio, quæ nobis videntur maxime fortuita, tandem vero diuinitus sic fuisse disposita & gubernata, ex euentu cognoscuntur. Occasio autem liberationis Iosephi fuit interpretatio somniorum pincernæ & pistoris regii sociorum carceris. Per eam enim paulo post innstescit Regi, & fit Dominus Aegypti. Iterum ergo discamus, diligenter Deum omnia cooperari in bonum.

Partes capitis sunt duæ:

1. Carcer & somnia duorum satraparum Pharaonis, vsque ad v. 9.
2. Somniorum narratio interpretatio, & euentus.

In priore præcipue circumstantia erunt:

1. Peccatum & captiuitas duorum aulicorum, v. 1. 2. 3.
2. Ministerium Iosephi in carcere, v. 4.
3. Somnia duorum captiuorum, v. 5.
4. Tristitia eorum, v. 6.
5. Solicitudinis Iosephi de tristitia & somniis, v. 7. 8.

In posteriore. 1. Somnium pincernæ eiusq; interpretatio, v. 10. 11. 12. 13.

2. Iosephi petitio, v. 14. 15.
3. Somnium pistoris eiusq; interpretatio, v. 16. 17. 18. 19.
4. Euentus somniorum, v. 20. 21. 22.
5. Ingratitudo pincernæ, v. 23.

PRIMA PARS CAPITIS.

Carcer & somnia pincernæ & pistoris regii.

1. Accidit autem his gestis, vt peccarent pincerna Regis Aegypti & pistor in Dominum suum Regem Aegypti.

2. Iratus.